

GEORGICON II

ut saepe ingenti bello cum longa cohortis
 explicuit legio et campo stetit agmen aperto, 280
 directaeque acies ac late fluctuat omnis
 aere renidenti tellus, necdum horrida miscent
 proelia, sed dubius mediis Mars errat in armis.
 omnia sint paribus numeris dimensa uiarum,
 non animum modo uti pascat prospectus inanem, 285
 sed quia non aliter uiris dabit omnibus aequas
 terra, neque in uacuum poterunt se extendere rami.

Forsitan et scrobibus quae sint fastigia quaeras.
 ausim uel tenui uitem committere sulco;
 altior ac penitus terrae defigitur arbos, 290
 aesculus in primis, quae quantum uertice ad auras
 aetherias, tantum radice in Tartara tendit.
 ergo non hiemes illam, non flabra neque imbres
 conuellunt: immota manet multosque nepotes,
 multa uirum uoluens durando saecula uincit, 295
 tum fortis late ramos et bracchia tendens
 huc illuc media ipsa ingentem sustinet umbram.

Neue tibi ad solem uergant uineta cadentem,
 neue inter uitis corylum sere, neue flagella
 summa pete aut summa defringe ex arbore plantas 300
 (tantus amor terrae), neu ferro laede retunso
 semina, neue oleae siluestris insere truncos.
 nam saepe incautis pastoribus excidit ignis,
 qui furtim pingui primum sub cortice tectus
 robora comprehendit, frondesque elapsus in altas 305
 ingentem caelo sonitum dedit; inde secutus
 per ramos uictor perque alta cacumina regnat,
 et totum inuoluit flammis nemus et ruit atram
 ad caelum picea crassus caligine nubem,
 praesertim si tempestas a uertice siluis 310